

DE PARTU PIGNORIS ET OMNI CAUSA.

8.25.1

Imp. Alexander A. Mestriano.

Partus pigneratae ancillae in pari causa qua mater esse olim placuit.

PP. id. Mai. Agricola et Clemente consss.

[a. 230]

8.25.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Nonnosus et Antoninus.

Cum pignoris titulo mancipia vos obligasse pro mutua quam accepistis pecunia proponatis, horum mancipiorum operis, quas creditor accepit vel quas percipere potuit, in usuras computatis et post in sortem, extenuato debito residuum offerentibus vel, si non accipiat, consignatum deponentibus mancipia vobis praeses provinciae restitui iubebit.

S. V k. Ian. AA. consss.

[a. 293]